Ita eritis nobiscum patris et filii ut a memoria et protectione patris et filii non excidatis et hoc debetis appetere ut sitis in patre et filio quia inde mercedem consequimini.
Memoria promisse mercedis perseverantem te faciat in opere.
Hec scripsi quasi attenti sitis ad hec que dico. Propter illos malos vitandos scripsi hec.
Unctio. Spiritus sanctus est sacramentum et in unctione visibili. Vel unctio caritas que diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum. Que ad observanda dei mandata cor quod implet inflammat.

Sic unctio alia est visibilis, alia invisibilis, et veraque est scilicet unctio et non est mendacium.
Et sic fit ut docente vos interius spiritu minime indigeatis exterius hominum instructione.
Id est non est mutabilis ut vetus lex.

Ex promissio quam ipse pollicitus est nobis vitam eternam. Hec scripsi vobis de his qui seducunt vos. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu eius. Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam omnis qui facit iusticiam ex eo natus est. Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit

Vel perversis dogmatibus vel per aliquas illecebras vel per adversa seculi a vita eterna vos retrahunt.
Et ut doctrinam quam exterius factio teneatis curate ut spiritus sancti gratiam quam in baptismo consecuti estis in integritatem in corde et corpore servetis.
Nemo docenti attribuat quod ex ore docentis intelligit. Nisi intus sit qui doceat, lingua doctoris exterius in vacuum laborat. Tamen ne doctor taceat quod potest agat.
Doceat. Quod predico tenete. Quamlibet predicant falsi sunt, nec vobiscum invenietis vitam eternam nisi sequimini illam castitatem fidei quam per me audivistis.
Et nunc filioli manete in eo. Id est commodium habitum.

Qui in (?) persecutione fuit in domino manet, non confusus spe habet Iesus adventum. Sed qui hic erubescit, confundetur in eius adventu cuius precepta neglexerit.
Ad premium et lucrum bonorum et malorum dampnationem.
Pro eo neglecto vel negato.
Iusticia perfecta in angelis iusta est et in sanctis viris qui manent in contemplatione dei. In nobis iusticia incipit ex fide. In sanctis iusticie peccatorum confessio. Perficietur iusticia quando non erit lucta cum carne sed triumphus de hoste.
Iam nati sumus ex iusto. Iusticiam nunc patris oportet sequi.
De malo in bonum ipso ministrante.
Videte et si intelligitis quod omnis iusticia est ex deo per hoc probate.
Quod filii dei dicimur amatores mundi non diligunt vos, non percipiunt nostram dignitatem, non vos venerantur, sed affligunt.

Et nunc filioli. Inculcat crebra iteratione ut mentibus infigat.
In eo manete et si quid boni habetis illi totum et non vobis imputate et mala diabolo imputate.
Si scitis. Si hoc constat vobis principalis auctor est et natura toti iusticie.
Videte. Dedit nobis deus ut eum amare noverimus et possimus non tantum ut dominum fuisse sed et ut patrem filii. Unde quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri.
Quantis et qualibus donis ostendit deus erga nos paternam caritatem. Dedit enim ut in hoc seculo nomine et actu filii dei nominemur et in futuro simus possidendo beatitudinem hereditariam.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2317, 27r – Biblia cum glossa (https://fragmentarium.ms/view/page/F-kose/3925/41355)